



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta theologia moralis

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

§. I. Quomodo discerni possit Mortale à Veniali?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004

fit peccatorum numerus? Tertio, Quomodo peccatorum species? Quarto, Quomodo circumstantiæ mutant species? Quinto demum, Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi Præcepta?

§. I.

Quomodo discerni possit mortale à Veniali?

UT in Conscientiæ examine discerni possit mortale, quod est materia necessario confitenda à veniali, quod est materia libera, hæc traditur regula à Doctõribus: Ibi est mortale, ubi concurrunt hæc tria, *Gravitas materiæ, Plena advertentia, & Plenus consensus*: contra vero ibi est veniale, ubi unum horum delit, ita ut decidat à mortali, ratione, vel parvitatibus materiæ, vel semiplenæ advertentiæ, vel semipleni consensus: quia tamen de hoc fuse actum est in Tract. de conscientia tom. I. tr. I. d. I. q. I. c. 2. & seq. idcirco hic amplius immorari non vacat. Porro quid agendum sit Penitentem, si dubitet, an plene consenserit in tentationem, necne? vide ibid. cap. 4. circa medium.

§. II.

Quomodo discerni possit peccatorum numerus?

TRIA hic forent examinanda, Primo, An actus physice unus possit esse multiplex numero peccatum? Secundo, An actus physice plures possint esse unum numero peccatum? Tertio, Quomodo peccatum numero multiplicetur per retractationem, aut interruptionem? Sed de his vide etiam abunde dicta loco jam cit. §. antec. circa finem capitis 2.

Duo tantum ad illius Doctrinæ complementum hic addenda reor. Alterum est, ut, quæ ibi dicta uberrime sunt de peccatis commissionis, dicantur proportionaliter de peccatis omissionis: v. g. Qui retinet rem alienam invito domino, toties peccat, quoties retractat voluntatem restituendi: item, quoties ex impotente evadit potens, & non restituit, cum per impotentiam discontinuata fuerit prior voluntas, ut not. Pal. Putat etiam Suar. cum aliis, multiplicari tale peccatum per interruptionem somni, aut omnimodæ distractionis; quia tunc